



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses

Stapleton, Thomas

Antverpiae, 1595

10. Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39546

10. *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei qui in caelis est.*

Angolorū
custodia
particula-
ris.

COLLIGITVR ex hoc loco Angelorum custodia, non solum in genere, sed etiam particularis. Non enim dicit Christus, Angeli hominum custodes, sed dicit, *Angeli eorum*, id est, qui eorum curam & custodiam gerunt. Non enim Angelus *eius* est, puta Thomæ aut Ioannis, nisi qui Thomæ aut Ioanni peculiaris est. Hanc peculiarem cuiusque custodiam Angelicam colligit ex hoc loco D. Hieron. tum in comment. in hunc locum, tum in Esai. cap. vltimum. Origenes quoque tract. 5. in Matth. & Hieronymus can. 18. in Matth. Vide plura in Prompt. Cath. in festo S. Michaelis. Eadē sententia apud omnes Catholicos obtinuit. Calvinus tamen pro sua autoritate magistrali hoc totum contemnit. *Quod* (inquit) *hunc locum ita quidam accipiunt, quasi Deus singulis fidelibus proprios Angelos attribuat. infirmum est. Rationes subiungit. Neque enim sonant verba Christi Angelum vnum huic vel illi perpetuū addictū esse; idque cum tota Scripturæ doctrina repugnat, quæ testatur Angelos castra metari in circuitu piorum; & non vni tantum Angelo, sed pluribus mandatum esse, ut quemque fidelium tueantur.* Hæc ille. Sed hæc profectō argumenta valde infirma sunt. Quum enim duo dicat, prius manifestē falsum est, ut iam ex verbis Christi ostendimus; alterum puridum sophisma est. Sic enim arguit: Scriptura docet custodiam Angelorum generalem, ergo negat particularem. Cui simile negamentum hoc est: Scriptura docet Spiritum S. toti Ecclesie dari, ergo non datur singulari, per varia & peculiaris eius dona. Rursum istud:

istud: Dedit Christus Episcopos qui regât Eccle-
 siâ Dei; ergo nec paterfamilias, nec parentes na-
 turales, nec proximus quisq; spiritualem suorum
 curam habere tenentur. Denique & istud: Rex
 totam Rempublicam per varios magistratus in
 vnaquaque ciuitate temporaliter regit: ergo nec
 domino seruus, nec patri filius, nec duci miles,
 nec artifice tyro, nec magistro discipulus obedire
 debet. Est quippe Angelorû custodia generalis,
 est & cuiusque particularis; sicut est tum Spiritus
 Sancti, tum Ecclesie, tum Reipub. cura ac mode-
 ratio generalis, quæ particularem in vnoquoque
 genere non excludit. Deinde, etsi aliqua Scri-
 ptura docet generalem Angelorum custodiam,
 aliæ tamen Scripturæ docent particularem; sicut
 tum hic locus, tum ille maxime de Petro fores
 pulsante: *Angelus eius est.* Act. 12. vt in loco supra
 citato contra Calvinum explicuimus. Insulsè
 igitur & nimis præproperè post tam stupida ar-
 gumenta concludit Calvinus. *Facessat ergo commen-
 tum illud de bono & malo genio.* Facilius fuit Calui-
 no citò concludere, quàm solidè disputare.

15. *Lucratus eris fratrem tuum.*

NOTANDVS in Scriptura loquendi mo-
 dus, qui effectum totum partialibus cau-
 sis eisdemque infimis interdum tribuit.
 Lucrari enim animam perditam, præcipuè qui-
 dem Deo, eius gratiæ, & Christi merito tribuen-
 dum est; partim quoque ipsius conuersi pœni-
 tentiæ, lachrymis, fidei, fiduciæ, orationi, alijs-
 que ex libero eius arbitrio cum speciali Dei au-
 xilio profectis conatibus. Hoc tamen in loco tri-
 buitur correptioni fraternæ, quæ non nisi exter-

Causis
 partiali-
 bus tri-
 buitur
 effectus.

M num